

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica I. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA I. POST TRINITATIS.

Evangelium Luc. 16. v. 19 -- 31.

EXORDIUM.

ERat tempore Christi Servatoris mulier quædam, quæ habebat Spiritum infirmitatis decem & octo annis: & erat incurvata, nec omninò poterat sursum respicere. Quam cum vidit JESUS, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificavit Deum, Luc. 13. v. 11. 12. 13.

Hæc mulier idea est, omnium Epicureorum & filiorum hujus sæculi, quos Diabolus aded ad terrena incurvavit, ut non multum de Deo, nec cœlestibus cogitent: sed in concupiscentiâ oculorum, concupiscentiâ carnis, & superbia vitæ summum suum bonum querant. Propterea thesauros sibi colligunt de auro & argento, quibus confidunt, & ubi thesaurus eorum, ibi & cor eorum, Matth. 6. v. 21. quin quò pluribus divitiis abundant, eò feliciores putant se, dicentes: Bearum populum, cui hæc sunt, Plal. 144. v. ult. Et hæc causâ est, quod æque juvari nequeant, atque Christus mulieri huic opem tulit, quia morbum suum non agnoscunt, sed benedicunt sibi in hoc statu, Plal. 10. v. 3. incessabiles delicti, 2. Petr. 2. v. 14. donec in puteum cadant, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Tum fastus eorum cessat. Dabit enim Deus ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant, usque in sempiternum, Judith. 16. v. 21.

Exemplum proffat in prælecta Pericope

in divite epulone, qui omninò carnaliter affectus, non modò induebatur purpura & bysso, sed & quotidie splendide epulabatur. Sed infelici tandem eventu! Quia enim terrenis planè immersus fuit, tandem ex illis devenit ad locum tormentorum, ubi adhuc inter damnatos pœnas dat, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

Vidëbimus pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

Exegesis.

OPtimè Regius Psaltes de Deo dicit, quod in cælo sedeat, palpebræ verò ejus probent filios hominum, Plal. 11. v. 4. In prælectâ enim Pericope ejus luculentum proffat exemplum, ubi Salvator noster, qui Deus est benedictus in secula, Rom. 9. v. 5. de duabus diversi status & ordinis personis verba facit, & accuratè novit, quæ cujusque ratio sit, non modò quod ad terrenas facultates, sed & pietatem & impietate concernit. Hinc alterum, divitem epulonem ad infernû: alterum verò nempè Lazarum ad cœlum relegat, quæ sententiâ quoq; in utroq; post mortem consumatur. Non, quasi divitiæ ex seipsis damnandæ forent, siquidem Scriptura expressè memorat, quod benedictio Dei divites faciat,

II

nec

nec addetur eis labor, Prov. 10. v. 12. nec dubitandum, quin multi opulenti cum Abraham, Isaac, Jacob, David aliisque, qui divitias possederunt, in cælo gaudeant: Sicut ex adverso, pauperies & mendicitas neminem in sinum Abrahamæ promovet, nisi Deum timeat, potius illud Siracidis locum haber: Nequissima paupertas in ore impij, c. 13. v. 30. Sed ab usum Dominus carpit, qui plerumque divitias comitatur, & damnationem post se trahit, 1. Tim. 6. v. 9.

Querela respicit

I. *Divitiarum ab usum*, qui Epulonem ad internum detrulit.

Divitiæ ex seipſis non damnant, ut antè indicatum: Non enim potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo, Joh. 3. v. 27. quæ verò à Deo valdè bona sunt, Gen. 1. v. 25. Hoc saltem opus est, ut his, quæ à Deo accepimus, ritè utamur. Quia non in abundantia cujusquam, vita ejus est, ex his, quæ possidet. Luc. 12. v. 15. Hi verò divites Deo placent, qui juxtà divitias suas omnem navant operam, ut divites sint in fide, Jac. 2. v. 5. divites in bonis operibus, 1. Tim. 6. v. 18. in Deo, Luc. 12. v. 21. Aliàs, melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas. Psal. 37. v. 16.

Videat verò Christianus, ut divitiis suis rectè utatur

1. *Respectu Dei*. Quia enim divitiæ à Deo sunt, Sir. 11. v. 14. antè omnia ad cultus divini & scholarum ædificationem, & ita ad gloriam Dei opes nostras conferamus, Prov. 3. v. 10.

2. *Respectu proximi*. Frange esurienti panem tuum, Esa. 58. v. 7. Eph. 4. v. 28.

3. *Respectu suis*, ut sibi ipsi benignè faciat, de bonis sibi à Deo collatis: Omnis

enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum in omni labore suo, hoc donum Dei est, Eccles. 3. v. 13. Deinde quoque domus suæ præsit, & liberis thesaurizet, 2. Cor. 12. v. 14. hoc qui non facit, fidem negavit, & infideli deterior est, 1. Tim. 5. v. 8.

Hoc verò minus à plurimis observatur: sed ut Gentiles Plutum Deum divitiarum constituerunt, & venerati sunt: sic adhuc hodiè benè multi divitias suas & opes pro Deo habent, dum in iis confidunt, eas sapè omnia diligunt, earumque dispendium plus quàm Deum ipsum timent, ut avarus propterea non immeritò idolorum servus, & avaritia idololatria appelletur, Eph. 5. v. 5. Col. 3. v. 5.

Præterea non verentur propter opes peccare, ut easdem augeant, hinc toram conversationem vitæ, compositam ad lucrum habent, ut undecunque etiam ex malo acquirant, Sap. 15. v. 12.

Et ut quod res est, dicam: sunt servi Mammonæ, huic se & corpore & animâ devovent, propter hunc legem Dei transgrediuntur, dicentes: Manda, remanda, Esa. 28. v. 10. pergunt in fastu & superbia, ebrietate & luxuria, dum tandem in infernum & anima & corpore præcipitentur, ubi demùm nimis serò querelam ingeminabunt: Quid nobis profuit superbia? Sap. 5. v. 8. seqq.

II. *Pauperum neglectum*. Hic de Lazaro audimus, quod ad januam divitis jacuerit, plenus ulceribus, cupiens saturari de micis, cadentibus de mensa divitis, sed non potuerit iisdem potiri. Hæc nefanda immisericordia fuit, cujus & canes pavidit, qui venerunt, & lixerunt ulcera ejus.

Si

Si hodiernum mundum inspicimus, idem fere fieri videmus: plurimi proprio commodo inserviunt, & quando marsupia sua impleverunt, nihil patiuntur super contritione Joseph, sive Lazari, Amos 6. v. 6. sed continuo ut sanguisugæ clamant: *Affer, affer*, Prov. 30. v. 15. Manus enim eorum porrectæ sunt ad accipiendum, & ad dandum collectæ, Sir. 4. v. ult. sicut & de Sodomitis dicitur: Saturitas panis, & felicitas tranquillitatis, & manum egeno & pauperi non porrigebant, Ezech. 16. v. 49. In his locum habet illud Augustini: *Si non pavisti occidisti*: & talis homo sanguinis est, Sir. 34. v. 27.

Sed hæc omnia susque deque habent, concedentes potius, ut aurum & argentum in cistâ æruginent, Jac. 5. v. 2. quàm ut pauperi levamento sint. Hinc Poeta avarum ita introducit, ut aurum ipsum eundem quasi accuset:

Ferrea cista auri, custos tibi, ferrea porta,
Ferrea tota domus, ferreus es Dominus.

His aliquando iudicium sine misericordia erit, Jac. 2. v. 13. Qui enim obrurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Prov. 21. v. 13. *Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes*, exclamat hîc Augustinus. Emendate igitur mores, donec hodiè cognominatur, Hebr. 3. v. 13. & concludite eleemosynas in clavibus vestris, h. e. in ærarium Christi, Sir. 29. v. 15. & aliquando largam retributionem impetrabitis, Prov. 19. v. 17. Sicut enim Magi ex Oriente apertis thesauris suis obrulerunt Christo, autum, thus, & myrrham, Matth. 2. v. 11. ita nos hodiè pauperes habemus, his quicquid largie-

mur, Christus sibi factum reputabit, Matth. 25. v. 40.

Dum tempus igitur habemus, operemur bonum, tempore enim suo metemus, non delassati, Gal. 6. v. 9.

III. *Mortuorum accessum*. Dives Epulo hîc Abrahamum orat, ut mittat Lazarum in domum Patris sui, ad quinque fratres suos, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum tormentorum. Si enim quis, dicit, ex mortuis erit ad eos, pœnitentiam agent. Verùm repulsam ipse patitur, siquidem Abraham ait: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Hoc olim apud Paganos non insolens fuit, qui defunctis peculiaria sacrificia præstiterunt, & varia incantamenta adhibuerunt, quibus ex opinione illorum animæ demortuorum vel inviti apparere, & futura indicare coactæ sint. Quod & Judæi à gentibus didicerunt, ut Saulis exemplum indicat, 1. Sam. 28. v. 7. seqq.

In Papatu quoque multa de animabus defunctorum blaterantur, quæ, ut ipsi quidem prætendunt, hic illic apparent, & quæ ratio Purgatorii & aliarum occultarum rerum sit, manifestare perhibentur. Unde & Spiritus illos per peculiare characteres & formulas variis incantationibus adjurare amant. Verùm hoc ipsum verbo Dei è diametro repugnat. Vide Deut. 18. v. 9. 10. Esa. 8. v. 19. 20.

Præterea ne unicum quidem exemplum, neque in Veteri nec Novo Testamento legitur, quod DEUS unquam per mortuos cum viventibus egerit, aut hoc modo voluntatem suam

iisdem manifestaverit : sed postquam Deus multifariam multisque modis olim locutus est patribus in Prophetis, novissimis his diebus locutus est nobis in Filio, Hebr. 1. v. 1. seq. Et cœlitus mandavit, ut eum audiremus, Matth. 17. v. 5. in quo quoque acquiescimus, reverenter suscipientes, quod nobis per Ministros suos annunciat. Qui enim vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16.

Quod verò in Papatu fit, præstigiæ Satanæ sunt, qui operatur in filios diffidentia, Eph. 2. v. 2. ut supersticiosa dogmata, de purgatorio, invocatione sanctorum, Missis pro defunctis & ejus farinae alia confirmet, quo illis, qui caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, mittitur operatio erroris, ut credant mendacio, 2. Thess. 2. v. 10. Nec rarò à Clericis ipsis ejusmodi præstigiæ ad imponendum simplicioribus exercentur, qualia exempla de Dominicano & Franciscano apud Sleidanum, apud Erasmus, & alios passim existant.

Caveamus proinde ne palpum nobis obtrudi patiamur, ut & ipsi ad mortuos nos convertamus : sed Dominum quæramus, hic docebit nos utilia, Esa. 48. v. 17. Habemus firmiorem sermonem Propheticum & c. 2. Petr. 1. v. 19.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit
I. Ex *Lazari* appellatione. Christus enim eum nomine appellat, ubi ex adverso impium divitem indignum censet, cujus nomen ab Evangelistis consignetur, quod luculentum indicium, Lazarum in numero ovicularum ejus fuisse, quas nominatim

vocat, Joh. 10. v. 3. & in libro monumenti sui scripsit, ut in æternum non obliviscatur eorum, Mal. 3. v. 16. Hinc Paulus : Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus, qui sunt ejus, 2. Tim. 2. v. 19.

Quodsi igitur bonum nomen conservare gestis, ut post mortem honorificam tui mentio fiat, operam da pietati, & dispone negotia tua in judicio, Psal. 112. v. 5. Pulcherrima quippè sepultura pietas, ut Basilus ait. In memoria æterna erit justus, Psal. 112. v. 6. Deum ergò time, & mandata ejus observa, hoc enim omnes homines decet, Eccles. 12. v. 13. Sic & tua memoria cum laudibus erit, Prov. 10. v. 7.

II. Ex Angelorum præsentatione, qui animam Lazari portarunt in sinum Abrahamæ, & adhuc hodiè sunt administratorii Spiritus : in ministerium emissi propter eos, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. 14.

Jacobo patriam suam repetituro, Esau frater infensus obviabat cum quadringentis viris armatis, hinc metu percelleratur : Sed Deus ostendebat ipsi duo Angelorum castra, quæ comitabantur ipsum, hinc gaudio perfusus ait : Mahanaim, i. e. castra Dei hæc sunt.

Quando morimur, Fratres, & quidem beate in Domino, & nostendimus ad cœlestem patriam, ubi Christus sanguine & morte suâ πολίτευμα acquisivit nobis Phil. 3. v. 20. Infernalis verò Esau obviam procedit nobis, ut viam intercludat : id ipsum non terreat nos, quia Angelos comites habemus, qui sunt potentes virtute, Psal. 103. v. 20. adeoque Diabolo & satellitibus ejus ad resistendum pares sunt Ps. 103. v. 20.

Nec

Nec in agone deserent nos, sed animam, ut mater infantem, portabunt in sinum Abrahamæ, ubi custodietur in fasciculo viventium, 1. Sam. 25. v. 29.

Mardocheo magnæ fuit gloriæ, quod Regio equo in plateâ civitatis inequitavit, & supremus Princeps Haman clamavit coram ipso: Sic fiet viro, quem Rex volet honorare, Esther 6. v. 11.

Sed nos majoris æstimamur in oculis Dei, quod cæli Principes sancti Angeli apparitores nostri sunt. Quis non hîc exclamaret cum Davide: Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Psal. 8. v. 5.

III. Ex jucundâ refocillatione, quâ Lazarus post mortem in sinu Abrahamæ affectus est: portabatur enim ab Angelis in sinum Abrahamæ. Sinus Abrahamæ nihil aliud est, quàm locus, ubi est sine fine felicitas, Augustino dicente. Abraham enim Pater omnium credentium est, Rom. 4. v. 11. Qui igitur in sinu ejus est, ibi degit, ubi Abraham est, nempe in vitâ æternâ, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18.

Antè Lazarus, proprio domicilio destituebatur, jacens ad januam divitis in fimo; jam verò ἐν τοῖς κόλιτις Abrahamæ est, ubi spatium habet ambulandi coram Deo in terrâ viventium, Psal. 27. v. 13.

Antè ab omnibus amicis desertum, nemo erat, qui cognosceret, Psal. 142. v. 5. Sed jam accessit ad multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & judicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti novi Mediatorem Jesum, Hebr. 12. v. 22. Hic non in-

meritò exclames: Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum, Psal. 133. v. 1.

Antè non habebat, quo corpus ex necessitate tegeret, sed querelam Pauli repetere cogebatur: Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, 1. Cor. 4. v. 11. sed jam incedit ornatu speciosissimo, Esa. 61. v. 10. in byssino candido, Apoc. 7. v. 14. c. 19. v. 8. superindutus habitatione de cælo. 2. Cor. 5. v. 2.

Antè ad eò despectus erat, ut dives epulo aspectu eum non dignaretur: sed jam honoratur à Christo, qui eum nominetenus vocat: ab Abrahamo, qui eum in sinum suum recipit; ab Angelis, qui ipsum in manibus portant; à Deo Patre ipso, qui ut mater eum consolatur, Esa. 66. v. 13.

Antè cibo destitutus micas mendicare cogebatur, à mensâ divitis cadentes, quibus tamen minus portebatur: sed jam ad mensam Christi sedet, qui torrente voluptatis eum potat, Psal. 36. v. 9. ut vitam & abundantiam habeat, Joh. 10. v. 11.

Antè ulceribus scatebat, & doloribus; Jam terreste hoc habitaculum depoluit, 2. Cor. 5. v. 1. expectatq; corpus clarificatum, Phil. 2. v. ult. fulgens quasi splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3.

Adhuc hodiè multi egeni Lazari hîc illic inveniuntur, qui auxilium Dei præstolantur: Verùm confidant modò, Dominus non permittet illos tentari supra id, quod possunt, 1. Cor. 10. v. 13. sed liberabit ab omni opere malo, & salvos faciet in Regnum suum cæleste, 2. Tim. 4. v. 18. ubi apud Deum, in Deo, cum Deo & in conspectu Dei abundantia gaudiorum fruuntur in æternum, Psal. 16. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus includitur Regulis, quarum

I. *Luxum tempera*. De Epulone dicitur, quod indutus fuerit purpurâ & bysso, epulatusque quotidie splendide. Sed infelici eventu! hoc ipso enim viam sibi stravit ad infernum, in quem etiam & anima & corpore migravit.

Nos exemplo ejus cautius mercari discamus. Quod enim Epuloni accidit, idem omnibus illis evenit, qui à tricupiti mundi Cerbero, concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ infatuantur. Ubi sunt amatores mundi? comederunt, biberunt, riserunt, in bonis dies suos duxerunt, & in puncto ad infernum descenderunt, inquit Bernhardus. Nonne vir ille Israeliticus in lupanari lanceâ transfossus est? Num. 25. v. 8. Balsasar temulentus interfectus, Dan. 5. v. 30. Eli ob nimiam in filios indulgentiam fregit cervicem, 1. Sam. 4. v. 18. Jezebel è fenestrâ præcipitata & à canibus devorata, cum in gratiam Jehu Regis se exornasset, 2. Reg. 9. v. 33. Si nemo certus est, quando, ubi & quomodo moriturus sit, unde quilibet animæ rationem sedulam agat, ne momentum in ejusmodi statu versetur, in quo salvati nequeat. Sicut enim ceciderit lignum, ibi erit, Eccles. 11. v. 3.

Nolite igitur hoc sæculum diligere, velut Demas, 2. Tim. 4. v. 9. Transit enim mundus & concupiscentia ejus, 1. Cor. 7. v. 29. 30. Qui hoc credere recusat, cum mundo damnabitur, 1. Cor. 11. v. 32.

Jonas lætabatur super hederâ, quæ umbram capiti ejus præbebat: sed paravit

Deus vermem postridie, qui percussit hederam & exaruit, & omne gaudium cessavit, Jer. 4. v. 6. 7. Quid mundus aliud, quàm jucunda hederâ, cujus voluptate multi capiuntur, adeo, ut Dei obliviscantur & salutis detrimentum patiantur? Amicitia enim hujus mundi inimicitia Dei est, Jac. 4. v. 4.

Caveamus proinde ne mundi deliciis inescemus: Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat. Qui verò in Domino delectatur, dabit ei petitiones cordis ejus, Psal. 37. v. 4.

II. *Finem pondera*. Dives Epulo securus in diem vivebat, putans, quia prosperâ valetudine, & omnium rerum abundantia frueretur, nullum subesse periculum: Verum ubi non existimabar, à morte abripiabatur, nec in morte suâ auferebat, quo linguam suam torridam refrigerare potuisset.

Hoc *dehortationi* nostræ inserviat. Inquit Paulus: Omnibus statutum est mori, & deinde judicium, Hebr. 9. v. 27. Semper igitur meminerimus, quod mors certa sit. Determinati enim dies hominis sunt, Job. 14. v. 5. quæ in manibus Dei sunt, Psal. 31. v. 16. diem verò mortis ignorat, Gen. 27. v. 3. Eccles. 9. v. 12. Sedulo igitur de morte cogitemus, orantes cum Mose: Docete nos numerare dies nostros, ut applicemus cor ad sapientiam, Psal. 90. v. 12.

Deinde & *judicium paratum est*, ubi unusquisque pro te rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13. prout gessit, sive malum, sive bonum, 2. Cor. 5. v. 10. Ibi nihil occultabitur, judex enim omniscius est, sciens, quod in homine est, Joh. 2. v. ult. Nemo effugiet: Judex enim omnipræfens, Psal. 139. v. 7. Ne-

Nemo contradicet: Judex enim omnipotens, qui vel verbulo omnes damnatos in infernum præcipitabit. Verba enim ejus quasi ignis sunt, & quasi malleus, conterens petram, Jer. 23. v. 29.

Hæc probè perpendamus, cum metu & tremore salutem nostram operantes, Phil. 2. v. 12.

Equidem multi hodiè Epicurei in mundo inveniuntur, qui cælum & beatitudinem suam in hoc seculo quærunt, de futurâ vita non multum solliciti, hinc ajunt: Fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, Sap. 2. v. 2. seqq. Verùm habent illi mercedem suam, Matt. 6. v. 2.

Thebanus Princeps Epaminondas, militem excubias agentem, somno oppressum offendit, hunc gladio transfixit, inquiens: Talem te relinquo, qualem te invenio.

Idem eveniet die extremo Epicurei & filii hujus seculi, qui peccatorum somno immerfi, ad bonum nunquam evigilaturi sunt, ut Christus horâ, quâ non purabunt, venturus sit, Matth. 24. v. 44. & tunc quoque locum habeat: Qualem te invenio, talem te judico. Quin adedè rigorosè judicium exercebitur, ut justus vix salvetur: impius & peccator ergo, ubi comparebunt? 1. Petr. 4. v. 18.

III. *Mosen & Prophetas honora.* Hoc dives Epulo minimè fecit, ideò Abraham ad ejus petitum, quo Lazarum ad fratres suos mittendum vult, respondet: Habent Mosen & Prophetas. Quia verò ille Mosen & Prophetas despexit, hinc & mali fructus secuti sunt, ut substantiam hujus mundi habens, clausisset viscera sua à fratre suo, 1. Joh. 3. v. 17, item, ultra convenien-

tem conditionem purpurâ & bysso vestitus, & quotidie splendide epulatus sit. Et quamvis nonnunquam à Sacerdotibus & Levitis admonitus fuerit, tamen non credidit, quod illi de judicio ultimo, inferno & vita æternâ dixerunt. Jam verò irreparabili damno suo comperit, quod tùm credere renuit.

Sapiamus nos ejus exemplo, ut hîc in tempore gratiæ Mosen & Prophetas sedulo audiamus, & vitam ad eorum doctrinam componamus, nec dubitemus, quin hoc modo æternam damnationem effugere, & ad salutem æternam transire possimus. Sed fiat necesse est, dum fores gratiæ patent: in altero enim seculo tempus deploratum est. Vocavi & renuistis, Prov. 1. v. 21.

Non dubium est, quin dives Epulo seriâ pœnitentia ductus, jam Mosen atque Prophetas libenter audisset, & morem gessisset, si è loco tormentorum redimi potuisset. Verùm omnis ejus spes decollavit! Nos verò in Regno gratiæ adhuc vivimus, proptereâ inservientes tempori, ne deseratis collectionem vestram, Hebr. 10. v. 25. sed observare Mosen & Prophetas, audire verbi Præcones, quando nihil extrâ dicunt, quàm ea, quæ Propheta locuti sunt, futura esse, & Moses, Act. 16. v. 22. Scrutamini quoque Scripturas, exemplo Berthoensium, Act. 17. v. 11.

Alii libri & ipsi utilitatem suam habent, ideoque magnificandi sunt, sicut Alphonsus Arragoniæ Rex libros in tanto pretio habuit, ut aurum, margaritas & gemmas amittere maluerit, quàm libros: unde etiam librum patentem symboli loco

loco adhibuit. Verum nullus liber in universo orbe Scripturae sacrae aequiparari potest. Hic enim solatium in omnibus adversitatibus reperimus, Psal. 94. v. 19. Hic salutariter de omnibus fidei articulis instruimur, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4. Hic salutiferas admonitiones offendimus, ad quas vitam componamus. Indicabo tibi, o homo, &c. Mich. 6. v. 8.

Olim Tarquinius superbus, teste Gellio, tres libros Sibyllinos magno pretio emit, eosque quasi pro oraculis Romani habuerunt. Quid vero illi in comparatione Mosis & Prophetarum? Propterea majorem quoque hos aestimemus, cum Davide dicentes: Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti, Psal. 119. v. 72.

In Papatu hic liber in tenui pretio habetur, & Laici a lectione ejus plane arcentur, unde Hosius Cardinalis: *Laicis lectionem Scripturarum permittere, est sanctum canibus dare, & margaritas porcis projicere.* Sed iniquum id est: Epulo enim & fratresejus, & ipsi Laici fuerunt, & tamen Abraham Mosen & Prophetas ipsis audiendos & legendos commendat.

Sic Candaces Praefectus Reginae Aethiopiae in Bibliis, & in specie Prophetam Esaiam legit, Act. 8. v. 28.

Rex Alphonfus Biblia quatuordecies per legit.

Theodosius Imperator in tantis delitiis sacra Biblia habuit, ut nocturnam quoque manu eadem evolveret, quin & Novum Testamentum propria manu descripsit.

Imitemur nos horum exempla: Et quemadmodum Ezechiel volumen libri quod ipsi a Domino ostendebatur comedere, & ventrem atque viscera eo completere tenebatur, Ezech. 2. v. 10. sic & nos per sedulam & assiduum lectionem & meditationem sacrae Scripturam quasi in succum & sanguinem convertamus, ut sciamus cui credamus, 2. Timoth. 1. v. 12. & parati simus semper ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea, quae in nobis est spe & fide, 1. Petr. 3. v. 16.

Optimum enim est gratiam stabiliri cor, Hebr. 13. v. 9. Sic finem fidei impetramus, salutem animarum, per Christum Jesum, Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA II. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 14. v. 16 -- 24.

EXORDIUM.

BEnignissimum Numen olim Israelitas, in deserto Arabiae, ubi summa rerum penuria erat, tam affluenter cibavit, ut escam ipsis ad palatum

suppeditaverit. Pluit enim illis manna ad manducandum, & frumentum caeli dedit eis. Panem Angelorum manducaverunt, cibaria misit eis in abundantiam.

Trans-